


DAMIANI  
GOIS E QVITIS LVSI-  
TANI. VRBIS LO-  
VANEN-SIS OB-  
SIDIO.

OLISIPONE APVD  
Lodonicum Rhoto-  
rigium typogra-  
phum.


M. D. X L V I .



DAMIANIGOIS  
EQUITIS LUSITANIDE

captivitate sua, Et de ijs, Quæ ad Lo-  
uanium à Longouallio Gallorum  
duce acta sunt, ad Carolum  
Quintum Augustum  
Vera narratio.

¶¶¶



A est Cæsar Auguste mul-  
torum hominum natura, ut poti-  
us obtrecladi studio, quam re-  
ferenda gratia delectetur. Ac  
habet quidem humana natura mul-  
ta magna uitia, sed nullum ta-  
men grauius, neq; intolerabilius, quam illam obli-  
usionem gratiae, coniunctam cum laceratione, &  
oppressione uirtutis alienæ, In quo criminis, id eti-  
am inest mali, quod qui eo obstricti sunt, uitia quæ  
à natura habent, artificio quodam malicie condi-  
unt. Quicumq; enim ingratus esse uult, ut ingratus  
esse possit, eleuat beneficia in se collocata, famamq;  
illorum arrodit, et carpit, ut vel nihil, vel per quam  
pusillum debere uideatur. Sed si est aliqua discipli-

A ij

na uirtutis, si ullum studium sapientiae extat, non  
deberent qui hæc profitentur, eiusmodi artibus, ad  
bonorum uirorum, beneq; de se meritorum, famam  
dignitatemq; laudandam abuti. Quod cum nemini  
mortalium, multo tamen minus Louaniensibus id  
conuenit, in quos publice, priuatimque tam multa  
mea merita constabat, quorumq; periculum et discri-  
men, periculo capitis fortunarumq; mearum gra-  
niissimis temporibus ciuitatis auerteram. Quorum  
pro beneficijs meis maleficia, pro studijs odia, pro  
salute ciuitati data, perniciem prope redditam, sa-  
cra tua maiestas paucis cognoscere ne gravetur.  
Cum summa semper nescio qua literarum admira-  
tione olim tenerer, neq; tamen ob aulica negotia in  
quibus à puero pene enutritus uersabar, operā eis  
liberam impendere ualerē, nō remittente se interim  
affetu, coepi cogitare mecum, quomodo tandem  
ihs uacare possem. Nec defuit cōsilio successus. Lo-  
uanium enim Antuerpiæ relicta ubi tum ob nego-  
tia regis agebam ) me contuli. Sed hoc in loco cum  
septem ferme menses coluisse mansuetiores musas,  
ab inuictissimo Ioanne huius nominis tertio Lusti-  
tanorum reges apud quem à puericia educatus fue-  
ram, ultra delata mihi orientalium Indiarum que-

floris dignitate, in aulam asciscor. Qua de causa re-  
uersus in patriam, cū magis magisq; literarū amore  
flagrarem, quæsturam uix initam deposui, ac dein  
de peragratis, perlustratisque aliquamdiu varijs re-  
gionibus & academij, cum inter ceteras, Braban-  
tia tua Cæsar Augustissime, impensis mihi com-  
mendaretur, Louanium cum uxore, quam in Hollâ-  
dia rege assidente duxeram, studiorum gratia com-  
migravi. Quod quidem oppidum, multis antea &  
maximis beneuolentia argumentis, sèper edocui mi-  
hi intime charum & iucundum fuisse. Que autem  
ibi uitæ meæ, quæ instituendæ, alendæq; familia ra-  
tio, quæ coniunctio non solum cū optimatibus aca-  
demis, uerum etiam cum decurionibus ac nobilitate  
municipij fuerit, quam deniq; illustri gratiatum stu-  
diosorū, tum ciuium floruerint, ab illis potius te Cæ-  
sar inuicte, quam ex me cognoscere malo. Etsi enim  
defloruit gratia, memoriaq; nostrorum beneficiorū  
una cum detimento fortunarum mearum, quibusq;  
ante obsidionem charissimus eram, iisdem post libe-  
rationem urbis, ne quidquam debete mihi uidecentur,  
gravis esse coepi, spero tamen testimonium publicū  
innocentiae pietatisq; meæ nequaquam mihi denega-  
sum tri. Casis autem qui me à ciuitate alienauit, hic

fuit. Cum sub æstiuis mensibus in Hollædiam cum uxore, usitato more properarem, ut ea patriæ solo quotannis frueretur, ac interea aliquot dies suspenso itinere Antuerpiæ hærerem, ecce nuncium per certos homines accipio, hostilem illam manum, quæ nul la denunciatione belli facta, in star prædonum, Brabantiam repentinis depopulationibus, incendijs, cædibus, uastabat, Louanium magnis itineribus contendere, ibi sedem belli statuere, quo tanquam ad domicilium martis, utringz è Gelria & è Gallia exercitus tuto cominearent, quæ locum si armis tene rent, certa iam illos spe foueri, proxima quæqz in ditionem & potestatem suam redigendi, accessione præsertim copiarum Gallicarum, quas Aureliorum dux non ita procul apud Iuodium sub signis habebat. His rebus cognitis, meus ille in academiam Louaniensem fatalis amor, me ex itinere Louanium retraxit, multum sane reluctante uxore, multum dis fudentibus amicis, & tanquam diuina quadā præfensione, cunctis infasta ominus tibus. Sed gratitudinis, pietatisqz meæ esse iudicabam, pro virili mea parte, armis, confilijsqz, ei urbi succurrere, que me quasi pia mater prope in finu suo inter literas ac litteratos foniisset. Ad uolo igitur cōfestim ad urbem

eamqz codem die ingredior, quo plæriqz illam ciues & municipes, relictis aris, focis, coniuge, liberis, persumnum dedecus deferebant. Vxor etiam quia me ab hac incitatione animi, susceptoqz consilio defendendæ urbis, lacrymis, lamentisqz suis deflectere non potuit, iter meum subsecuta est. Quam gratus autem fuerit aduentus meus, ex eo haud obscure cognosci poterit, quod codem prope momento, quo cognitum est de meo reditu, à magistratibus in senatum uocor: ibi de munienda pro magnitudine periculi, defendendaqz ciuitate, consilio habito, in tatis asperitatibus rerum, angustijsqz temporis, varie latqz disceptatum est. Placuit tandem, ut ego cū paucis alijs, oppidum intus forisqz inspicerem, remqz totam explorare perceptam & cognitam ad senatum referrem. Quod munus ut summo studio suscepit, ita susceptum nauiter alacriterqz obiui, ac quid mihi de sanguine, naturaqz loci, de munienda, defendendaqz ciuitate, deqz habendo delectu iuuentutis uideretur, uniuerso senatu uerbis scriptisqz aperui, ac deinde qua potui diligentia, industria, fide, ad omnia celeriter sagaciterqz prouidenda, ubiqz præsens præstosqz fui, neqz usquam defui, ubi usum aliquem mei fore ciuitas iudicabat. Quæ cura cum me ibi

aliquamdiu occupatum tenuisset, rebus pro tempore  
compositis, domum redeo, quo statim Rector ipse  
cum dignitatis suæ insignibus subsequitur, ac uniuersi-  
tatis nomine mihi mandat, ut illico in ædem Diuitiæ  
Petri me conferam, quo iam frequens Academia  
conuenerat. Obtempero, in sentitum uenio. Quis ur-  
bis status, quæ conseruadæ eius spes ac ratio foret,  
dilegenter sciscirantibus sententiam meam expono.  
Ad extremum, post uarios de summa reip. defendendæ  
dæ ultro citroq; communicatos finitos q; sermones,  
communi omnium suffragio et sententia rogor, uti  
studiosæ iuuentutis, quæ adbuc in ciuitate reliqua  
erat, præfecturam fusciperem. Itaq; post meum in  
oppidum aduentum, cautum decretum q; sub poena  
capitis fuit, ne quis clam, palam ue ab urbe profuge-  
ret, ac ne quenquam uigilie quæ ad portas in statio-  
nibus erant, excedere ex urbe paterentur. Hæc et-  
si non ignorabam, tum ob nimiam iuuentutis licentiam  
et indomitos mores, tum ob nationum uariarum  
dissimilitudinem, quam difficilis ac periculosa pro-  
uincia foret, tamen cum qua de causa Louanium res-  
dissem, mecum reputarem, curam illam tandem, et si  
grauate, suscepi. Atq; ex eo tempore etiam consi-  
deratus, quæ ad defensionem salutis omnium perit-

neret, cogitare prospicereq; coepi. Mittitur interea  
ad nos à serenissima Maria Hungarie, Bohemiæ,  
et c. regina uida sorore tua charissima (cui huius  
inferioris Germaniae ac Gallie belgicæ tue gub-  
ernacula, ob singularem eius prudentiam merito  
commisisti) Philippus Dorlay gallicæ Brabantie  
prætor, qui summæ rerum Louaniæ præfesset. Mit-  
titur item cum trecentis tyronibus Conradus comes  
Vernembergensis. Postremo aut sub diluculum  
eius diei, quo hostis ad moenia accessit, aduentare  
quoq; cum equitatu Georgius Roly dominus Em-  
meriensis nunciatur. Quā obrem à me Ioannes Thomæ  
men tunc temporis consul petit, uti honoris causa  
ei obuiam irem, quem plus minus una equitum centu-  
ria stipatum in urbem atq; in diversorium deduxi.

Quo numere perfunctus, quia satis constabat hos-  
tes non procul ab urbe abesse, inspiciendarum uigili-  
arū gratia, armatus ad moenia hostilibus proximi ora  
contendo. Ibi sane excubias magna ex parte stationi-  
bus etiā alicubi desertis, mire cōsternatas frateras q;  
reperi, cum iam non fama hostilis aduentus, sed  
flama quoq; in oculis esset, qua deuastari omnia ex-  
muriis prospiciebat. Quibus ex tempore, adhorta-  
tione ac spemioris præsidij (quam serenissimæ re-

gine nobis facerant literæ) confirmatis, cæterisqes  
procuratis, quæ ad horam ferme D<sup>icitu</sup>riam qua  
quauersus equitando desiderari animaduerti, in cu-  
riam me consero, ubi omnes magistratus optimatesqes  
ciuitatis una cum comite uernembergensi, et domino  
Emmeriensi, prætoreqes Brabantiae Senatum coge-  
bant. Quos cum de raritate, trepidationeque eorum  
qui excubarent, pro salute ciuitatis asperius mo-  
nussem, stomachans non arctiore disciplina in tam  
to periculo ciuitatis uigilias coerceri, comiti Ver-  
nebergensi assideo, interea autem dū cōsulitar, quid  
faciendum esset, per Christophorū Pheegel ger-  
manice nationis iuuuenem fortē et impigrum, subi-  
to denūciatur mihi nomine uniuersitatis, ut omni ce-  
leritate domum meam contendarem, ubi omnis acade-  
mia iuentus, autoritate academicā uoceqes præco-  
nis cum armis connenerat, ut pro ratione temporis  
officioqes ducis suscepto, cum illis agerem. Quibus  
mandatis obtemperans ē Senatu confessum ad cōdes-  
meas propero, et quos ibi scholasticos frequētes inue-  
nio, euestigio una cum magistro Seuerino Feiten Fri-  
sio, legato meo, uiro strenuo, et ad id munus ab ipsa  
Academia prudenter delecto, in forum deduxi, ibi-  
dēqes fide data se se militaribus officijs astrinxere. In  
de agmine cōposito eos ad moenia deduxi, qua par-

te hostis potissimū expectabatur, qui locus medius  
erat inter portā Bruxellensē & fluiolum, quē uul-  
go Vurā appellat, ac ciues omnes, qui ibi excubabāt  
ad alias urbis partes defendēdas discedere iussi. Na-  
tiones etiam ne quam permisstæ turbam concitarent,  
certis locis distinxi. Hæc atqes alia summa sedulita-  
te agenti mihi renunciatur, hostes misisse fœcialē su-  
um, qui cū oppidanis colloquium exposceret, eumqes  
intra moenia ac porro in senatum admissum, adquē  
nunciū stupefactus, ob temerariam stalticiam, &  
stultam temeritatē eorū, qui hostē intra portas rece-  
pissent, eiusqes oculis raritatē propugnatorū, solitu-  
diuem urbis, trepidationē non solum fœminarū, pue-  
rorumqes sed etiā uirorum ac rem deniqes omnē cōtē-  
plādā subiecissent. Eam ob rem muneris mei nō im-  
memor cursim in curiam redeo, ac cum circumactis  
buc illuc oculis, comitē Vernebergensi, dominum  
Emmeriensē, Brabantiae prætorem (nā hos euoca-  
tus ad milites meos in curia reliqueram) nusquam  
uiderē, eorum absentiam demiratus, sine quorum  
consilio & authoritate, nihil tale fieri debebat, ut  
pote qui in suam fidem & tutclā Louaniensem ur-  
bem a Serenissimā Regina Hungariae recepisen-  
togo num illi tam absurdam rem iustissent, et cur

in præsentia à senatu abeſſent, reſpoſdetur ab uni-  
uersis, omnes iam ex oppido profugisse. Percūctati  
perro quid ſibi foceialis uellet, aiunt cum regis Gal-  
lorū nomine, deditioñē urbis poſcere, proinde ſe con-  
tra emiſſe tubicinem, qui colloquium cum boſte im-  
petraret, interea foceiale in oppido cōmorari iuſ-  
ſum. Commouebat ſane me non parum reſponſum  
hoc, et perturbabar non mediocriter, quod uiderem  
non tantum non ex eorum, qui iam abſceſſerāt, au-  
thoritate, ſed ne me quidē in cōſilium adhibito, ac ne  
conſcio quidem, qui ſolus ſupereram, quiq; inter mi-  
lites academicæ caput et dux authoritate publica  
conſtitutus eram, tātam rem eſſe coeptam. Sed quid  
facerem? Iacta iam erat alea, nec abhorre animos  
à deditioñe, et, ut in re deplorata, omnia malle, quam  
nim hoſtium experiri palam erat. Videns igitur  
meum conſilium, aut non requiri, aut non magni fieri,  
eosque quo ſemel timore inclinauerant præcipi-  
tes ferri, moeſtus et gerq; ad meos recurro, ut ipſos  
quam poſſem maxime in officio conterem, confir-  
marenc;. At eo cum uentum eſſet, omnes præter  
quam oppido paucos, anxie ac titubanter, inconfiā-  
terq; loquētes uiueni. Iā enim plenius certiores erāt  
redditi, de illa turpiſſima ducum fuga ex urbe, de

flagitioſo foceialis aduētu, de trepidatione ſenatus,  
de tubicine cōtra in caſtra emiſſo, ac de desperatio-  
ne deniq; cōſeruādæ ciuitatis. Quare adueniēt me,  
num hæc ita eſſent, plærq; eorū ſlatim interrogat,  
ad quorum quæſita cum triftius reſpondiſſem, mul-  
ta et ſimulans inuitus, et diſſimulans cum dolore, ec-  
ce ſubito quidam interrupted et morientibus uocibus  
ſic me in clamat. Ita ne ergo nos buſ produxiſſi, ut  
te duce omnes trucidemur? uel, quod iam minimū ma-  
lorum eſt, captui reddamur? Cur rebus adhuc inte-  
gris nos non incolumes abire permiſſiſti, cum pro ſe  
quiſq; id abſ te precibus cōtenderet? An uero ideo  
per uim retenti ſumus, ut nobis pro piaculo datis, fa-  
cilior ciuitati foret cum boſtibus transactio? Nam  
quorū hoc peccatum eſt colloquium, niſi ut ſi alia  
forte ratione pacem ciuitas facere nequeat, nos in  
eorum potestatem tradant, ac deditioñe corporum  
noſtrorū, qui hic peregrini atq; adueniē ſumus, ſalu-  
tem urbi ac ciuibus redimant. Haec et alia cum iu-  
uentus plane iam turbulentia, et furore quodam in-  
credible percita fremeret, ita uultus oculiq; eorum  
perpulerunt me, ut nihil unquam in uita mihi accide-  
rit indignius, uel tulerim acerbius. Quis enim cuius  
integra conſcientia eſt, ac fraudis ſceleriſq; nescia,

B. iii.

prodictionis crimen dissimulater audiatur? Talibus igitur uocibus mibi circum aures strepentibus, cum ea & turbulentia & temeraria & periculosa esse uidetur, multaque saepe inopinantibus ducibus uim belli ac turbam moliri non nescirem, remittere me illis fidem datam mibi paulo ante respondi, neque enim congruere ipsis aut reip. ut quem suspectum infensumque putent, ad eius ductum omnes uires ciuitatis applicarent, neque alias mibi gratum ducis nomine praesertim in ea ciuitate, in qua cum hostibus inconsulto duce pactio tentaretur. Itaque commilitonem me deinceps appellarent, & de fide mea pro experimentis statuerent, uelle euidem me omnes bellicos labores, omnes militaris leges & quae cum ipsis pati & subire, alij inquam loquantur cum hoste, pro arbitrio pacificantur, transigantque, ego cum omnibus communem bellum euentum expectabo. Quod uero iuuenium in solentiae ac tempore cedens, ducis me imperio abdicauimus, & me illis commilitonem ad comunia pericula obeunda, proutissimum fore professus sum, non est cur calumnientur amuli, perperaque illos a nobis relaxatos, cum praesertim nulli stipendio addicti, nulla stipulatione alligati nollent sine ulla spe ad interitum ruere uoluntarii. Ego quoque Academia et rectore rogante liber a iure in rando eosdem illos liberos liberali imperio

babui, dum tempus & rerum ratio tulit, eadem urgen-  
te, non nouo consilio, sed maiorum exemplo, simula-  
tam hanc relaxationem, amplexus sum, ut eo arden-  
tius atque acrius iuuentutem ad urbis defensionem ex-  
citarem, & id a quo animus abhorrebat, oratione  
significavi, ac aperte dixi me scilicet nomen Ducis  
nec ambiuisse nec abiire, eapropter ut cum iuuentus  
omnis, quam ex tota Academia exciuiimus, animad-  
uerteret in tantis rerum angustijs ductore se suo, et  
omni spe salutis orbata esse, maiore studio oficiū  
meum requirere cogeretur, & cum permulco exilis  
retentos in oppido inuitos, atque id meo potissimum  
consilio, a senatu decretum fuisse recordarer, quando  
iam ceteri duces in fugā se dedidissent, & ciues pmul-  
ti, eorum pedes fugaces & uestigia odorantes perse-  
querentur similem uitā, uolui iuuentutem a fide mibi  
præstata liberare, ne ullus iuitus uel coactus sub me  
is signis militaret, ut eo consilio timidos uel alegarē  
uel animosiores fortioresque ad urbis defensionē red-  
derem. Simili ratione ut a belli periculis abesse spar-  
tana iuuentus, causa dissimulata, literisque datis, ad  
Ephoros remittitur. Par arte & prouidentia mi-  
lites Cæsariani ignominiosa missione apud Vesun-  
tionem in officio retenti fuere. Tali denique consilio ipse  
ratorio psepe belli duces præstissimi usi sunt quorū

uidelicet præcipua bene consulendi portio hac laus  
de continetur, ut dispiciant non solum quid per se  
optimum sit, sed quid pro temporis ratione posse  
obtineri. Quid opus est uerbis? In eum iam res erat  
progressa locum, ut exitu honestum nemo prospice-  
ret. Ita omnes dubitabant, hæsitabant, circunspecta-  
bant omnia, quicquid increpuerat pertimescebat,  
diffidebat rebus suis. Aderat tamē in ea armatorū  
corona ut sere fit in multitudine) et quiores alij, et  
cōsilij sanioris, quos id, quod ppter imperitos factū  
maxime uolebā, non mediocriter cōmonit. His sta-  
tim aggrediuntur me atq; orant, ne propter quorū-  
dam temeritatem, uniuersos desererem. Sed quando  
eo nunc uentum sit, ut senatus omnino decreuerit cū  
hoste colloquium, etiam atque etiam prouiderē, ut  
studiosae iuuentutis ratio haberetur, nec de tpsis gra-  
uius quicquam, quā de ciuibus statueretur. Id uero  
et si senatus ab initio incōsulto me cōstituisset, tamē  
ne alicubi mea opera studiosis denegata uideretur,  
sedulo me facturum, aditumq; exemplo senatum  
polliceor. His itaq; uerbis in uallo habitis, præsta-  
dio prius perlustrato, cura excubiarum Seuerino iā  
delegata, in curiam reuertor. Quo in itinere, iuxta  
Carthusianorum stagnū, nō longe a moenibus, ob-

nus mihi fit Ioannes Rauenschot patritius Lou-  
niensis, a quo fio certior, Senatum ad portam Bru-  
xellensem iam adesse, ut in congressum colloquiumq;  
cum hoste ueniret. Quæ res ut antea mihi, dum me  
in scio statueretur, ita nunc cum perficeretur, nouo  
rursus dolori, et gritudiniq; esse coepit, nihilominus  
eandem portam petere decreui, ibi cognoui hostium.  
Duces fide data quatuor oppidanos ad colloquium  
admisisse, hic ego memor meorum, ex de cōmuni il-  
lorum salute auxius, interrogo statim de nominibus  
eorum qui ad id muneric essent designati: Respon-  
detur primum esse Hadrianum Blehemum tunc ci-  
uitatis prætorem, secundum Ioannem Tommen eo-  
dem tempore (ut dixi) consulem, Tercium Applesi-  
num quendam, quem dominus ab Emmerija sibi le-  
gatum fecerat, Quartum nero, ut tum erat omnium  
rerum pertubatio, ignorari. Confestim prætor me  
rogat, ne meam operam in rebus tam afflictis, ciuita-  
ti denegarem, uerum ut me quartum illum facerem,  
qui autoritate publica, colloquio destinatus, hostiū  
timore forte perculsus se subduxisset, Ibi coniectis  
simil multorum in me oculis, huc etiam in uitatibus,  
dubius primum confiti, quod statim subirēt animo,  
quæ me uel ut manarem, uel ad colloquium exirem

C

instigare uiderentur ad extreūum cūm credērem illi  
mihi à ciuitate imperari, quod a prætore ciuitatis  
rogabatur, feci in p[ro]uā id quod me facere singuli at-  
q[ue] uniuersi ciues atq[ue] etiam studiosi s[ed] consuli fuisse  
non uoluisserit modo, uerum etiam impense me roga-  
uissent. E[st] gressus ergo cum tribus illis quos supra-  
retali, in castra hostium per foeciale illum, qui te-  
mere dudum in oppidum receptus fuerat, deducimur.  
Cum autem uentum esset ad Leprosari-  
am Bancensem, quæ non multum distat à moeni-  
bus, seorsum ab alijs Nicolaum Bossurum dominū  
Longualis, Mariinum Rossemann Gelrie metra-  
torem, & quenam alium nobilem gallum, nomine  
Iuersellum, offendimus, inter quos Longouallius  
ut exercitus caput, minas promissaq[ue] magnifica ia-  
stabat, hinc uerborum iactatione libertatem, omni-  
umq[ue] tributorum immunitatem, illinc denunciatione  
pericolorum cædes, incendia, aliasq[ue] bell[i] calamita-  
tes, facillimā oppidi expugnationē, eandemq[ue] omni  
ordini ac etati pernicioſissimā ostentans. Proinde  
secum ciues expenderent, premia an supplicia expe-  
ctarent, se sanguini parsurum si leges suas re-  
ciperent. Hoc in colloquio cūm a nobis diditio mul-  
tis & varijs argumentis repudiata esset, proposita

st. ab hoste pacis redemptio, ut irmeſſtre ſlipet  
diu[m] hostili exercituſ ſolueremus, quod in ſingulos  
menses erat ſeptuaginta millium coronatorum aure-  
orū. His additum erat ut omnia tormenta, machi-  
nasq[ue] bellicas, globos pulueres & quicquid ad eortuſ  
instrumentum & apparatus pertineret, tradere-  
mus. Commeatii quoq[ue] & annonam exercitiū præ-  
beremus, ſed uisto præcio. Quod ſi uero in has le-  
ges conueniſſet, uolebat etiam ut quatuor ex proceri-  
bus oppidi ſibi pro obſidibus darentur. Tandem cū  
alij tres deputati ac ego nō uideri nobis tam iniquas  
conditions ab oppidanis impetrari poſſe oſtendisſe-  
mus, eo descendit hoſlis ut ſeptuaginta coronato-  
rum milia accepturum ſe, de ceteris autem nibil re-  
miſſurum diceret: Itaq[ue] cum poſtulatis huiusmodi  
ad ſenatum in curiam quō item viri primarii  
populi & Academia conueniſſe conſtabat, re-  
uertimus. Ibi ut multa breuitatis cauſa prætermie-  
tam ) omnium ſuffragijs uifum eſt, & pecuniam  
illam & obſides dandos eſſe. Ad hæc prætori  
mandatum, ut congios (quos amas uocant) qua-  
driginta uini & centum cereuifia hostium ducibus  
oferret, ſi a petendis pulueribus tormentarijs, bom-  
bardisque defiſſere uellent, ſin mirus bombardas

saltem retineret: Commicatum autem præcio legitimo hostibus polliceretur. Id quoq; omnium ore decreatum est, ut si hostis nee prece nec precio nec gratia apostulatis deduci posset, omnia potius tradenda, quæ exigebat, nempe septuaginta millia coronatorū bombardas & pulueres, quam in eius manus incidē dum esse: Nam intra moenia nec animus nec uires erāt, quibus oppugnationi resisteretur, ac unusquisq; iam latibalis occulitorū lecorum, uitam fortunasq; suas tegere conabatur. Quæ cum satis confuse & pertumultuose consilijs, animisq; omnium per summum terrorem turbatis, anxijq; & acta essent, ut norunt omnes qui tum louanijs fuere, prætor, Applesinus & ego, Senatus & Academiæ decreto iterum cum obſidibus in castra egressi sumus, qui fure loannes Tommen, Consul, ijs qui prius colloquio fuerat destinatus, Gregorius a Dieuen, Bartholomæus Fleetueldius, & Iacobus Velius iuris licentiatus. Deducentibus obſides, multi comites tum studiosorum tum ciuium (ut qui sibi certi de pace aut inducij seſſent) fuerunt. Vbi autem ad hostem uenitum est, qui nos iuxta Bruxellensem portam operiebatur, Longouallius, qui exacte iam a ſuo faciale intellexerat, quid animi, quid militū in oppida eſſet,

prætoris orationem interrumpens ſe cum tot millibus, quot ſibi uideretur, ingredi oppidum uelle ait. Qua rei nouitate omnibus ſtupefactis prætor respondit ſe præter ea quæ in mandatis habebat, nihil offerre poſſe. Quod ſie a non placerent, non habere ſeſe quod polliceretur amplius. Ad hæc Longouallius deditonem ciuitatis Regis ſui nomine acerbius flagitias extrema queq; ac crudeliffima ciuibus minabantur. Tandem cum utrimq; uaria tractaretur, ut de oppido dedendo cum ciuibus & magistratu in tuis communicare liceret, prætori dimidium horæ tantummodo ad redditum tribuit. Tanta erat oppidi expugnandi hostium libido, ut in re tanti momenti, plus temporis ad deliberationem concedere noluerint. Prætor ergo in urbem reueritetur, ſequentibus eum multis, qui prius una exierant. Ego uero eius temporis quod dabatur, breuitatem contemplans, cū interea non tam in Senatu, quam foris apud hostem cōmuni omnium ſaluti prodeſſe poſſe me indicarem, manendum mihi foris, colloquendumq; de conditionibus primis, interea, dum prætor rediret, ſtatui. Etenim cum foedera, quibus cum hoste deuincitur fidēs, negligi uiderem, metuebam ne quemadmodum Longouallius ſemel, ita quoq; iterum appendicem

luriorum postulatis adiudicaret. Hæc autem ne acciderent, continuo colloquio, per ira Elando animo hominis, et captanda uoluntate, impedire posse existimabam, ne pluris redemptionem civitatis licitaretur. Alia mihi quoque manendi causa fuit, qua non me oculiter angebar. Timebam enim ne sanatori perturbato iam et rebus diffidenti deditio placere, cuius consilij ego particeps uel conscius esse nollebam, desperans omnino ut erat nervis omnibus urbs ipsa soluta et debilitata me tali consilio resistere posse. Sed roget quis, quanam tibi Damiane fuit cum Longouallio amicitia, ut ea fretus deditiois spem illi adimere conereris? quæ tandem uero esset, nisi quod cù bona spes cum omnium rerum desperatione configit, in afflictis ac perditis rebus fidenter infirma praesidia, pro uolidis amplexamur. Superiori colloquio quod cum hostibus fuit, intellectus Longouallius me Lusitanum esse ex gente minime, ob prisa inter Reges foederari, inuisi a me item non nullos in Gallia Lusitanos habere amicitiam et sanguine coniunctos, quibus cum magna necessitudo Longouallio intercesserat. Quibus rebus effectum est, ut mecum humanius loqui et multum de irucentio asperetu et uilenita sermonis remittere coepit. Ita quod fiducia illius

recentis noticie benevolentia quam Longouallius in praesens simulabat, illic substiti. Quid ni? Nonne firmamentum stabilitatis eius, quam in bello quærimus est fides, et conscientia promisorum, hæc cum mihi publica iussu Senatus hostijs data esset, non subsisterem, cuius rei fiducia reueteram, eiusdem non manerem? Vbi illa est anti que fiduciae formula, inter bonos bene agier oportet, ut ne propter te, fidem tuam captus fraudatus essem. At qui mulier audientibus sepe tuum ad hostem dixi huius iuris urandi religione ex virtutis fiducia uixus, Louantenses Senatus consulto facto, communique consensu, omnia prius tentare, pati et ferre constituisse, quam in deditioinem uenire. Quare si commodis principiis sui, suisque prospectum cuperet, pactiones illas pecuniarias potius admireret, quam frustra oppidum oppugnatione appeteret, cuius exitum non dubitare in longe alium futurum quam ipse opinaretur. Tandem nullis argumentis, nullaque ratione hostis commotus sancte affirmabat se copia militum, nec oppidum nec oppidanos gravaturum, si dedatio procederet, sin minus oppugnationem tamquam furaram. Quod ego quorsam attineret, circumspiciens, omnes armorum bellique casus incertos esse, an-

cipit sq̄ dicebam. Ac talia me foris agente exp̄  
elāeq; prætoris reuersionem (ut dūcūt enim cūs tē  
poris; quod ad consultandum exiguum cōcessum  
erat, alī mīla pars effluxerat) dum induciarūm si-  
ducta securo prorsus antīmo hostes iuxta fossam ex-  
portant. Bruxellensem pāsim uagabantur, ecce su-  
bito præter omnium expectationem, bombardarūm  
sonitu, ex iaculis omnia compleri coptā, qua quidē  
re sine diffinitus, sine agere militari euenerit, percussi  
attonitiq; hostes, aliq; in partes alias effusi, in fugam  
eundem conuerti sunt. Ego uero ex gaudio magno  
exultebam, quin urbi a regina succursum putabam,  
hostilem q; spem delusam, tamen de me quid repente  
statuerem haud reperiebam. Nam fuga in qua hos-  
tes spem collocauerant, eam undiq; perniciōsam mi-  
hi prospiciebam. Quo enim me recipere in ciuitate  
temne? ruins iam portae clausae ex tēla emissa acces-  
sum prohibebant. In castra ne? at qui hostes sciebāt  
omni diritate atq; immanitate terribilis fore. A  
laterrīna autem profugū impediebat obiecli hinc il-  
luc impeditum totum aggredi, ueruntamen bisectione  
difficili ab his subito circumuerūs, tam pericu-  
lis omnib; poshabant, qui uelox curſu que recipere  
ad urbā portationem, quæ fororūa est agmine fugientiū,

ac circumfusorum impetu cum equo simul, in foro līx le-  
gatus, acciuitati melius quam uitæ meæ consulēs, in  
hostium castra abripior. At qui Louanienses cla-  
mabunt me dignum calamitate, quod non redierim  
cum prætore in urbem. Hunc clamorē discutiemus.  
Si aliquid culpæ inest, nibil deprecor, teq; Augustis  
sime Cæsar cognitorem facio, apud quē non capti  
osam legum interpretationē, sed et quitatē ipsam  
plurimum pōderis habere omnibus cōstat. Nec quid  
quam adducam in medium, quod non prius Loua-  
niensibus exhibui. Ac primum redeat meū in me-  
moriam illius dicti, quæ tantam fortunæ atrocitatē  
tam tristem rerum faciem, tantam totius reip. for-  
midinem ob oculos posuit. Nō inficiabuntur cā suis  
se, ob circumstant ciuitatem malum, omnipium rerum  
confusionem conuersionemq; ut omnibus libera fa-  
cultas fuerit, quod cuique videbatur, pro rep. facien-  
di. Nam cum forte ibi, premente tum ui aquarum,  
minor oppidi cataracta elisa esset, de cōſilio quorū  
dam factæ sunt ruine, quibus aquæ fluxus sistere-  
tur. Nū de damno dato, cum illis agi hodie poterit?  
Multi ut speculatorēs hostium, ut proditores, mul-  
ti quoq; ut incendiarij aut latrones intra mēnia cō-  
præhensi in custodiā ex carceres publicos deducti

D

quorū tamen pauci fontes reperti sunt. Num iis ob innocentiam dimissis, actio iniuriarum competit? Occisus est etiam eodem tempore pro hoste socius, pro oppugnatore ciuitatis, is qui defensor ei, propugnatorq; uenerat, nec is unus fuit, sed duo una nocte. Multa præter ius & aequum in ea trepidatione commissa fuere, quæ si singula ad iuris etiam rigorem deducas, minime tamen eos qui ea egerunt, ullæ lege tenericenses, quoniam is status reip. fuit, ut expedire uisum sit à quo quis eam adiuuari. Itaq; consensu quodam tacito legum, edictum mandatūq; uidebatur, ut quod quisq; in rem p. conferre posset, id conferret, rem p. omne id habituram & ratum & gratum. Vnde etiam nunc talium rerum impunitas auctoribus libera conservatur. Atq; hanc potesta rem cum omnibus tributam, tum mibi etiam maxime quod persona publice essem à magistratus. Academia credidi, cuius senatus consulti persuasione & boni publici causa remansi foris, reverente prætore in oppidum, ut siquid forte melius breui illo tempore, quod solum & ultimum ciuitati iam restare uidebatur, prodeesse possem apud hostē, eius opportunitatem ne amitterem. Atq; hoc consilio meo, siquid fuisset effectum boni, ut fructus eius totius fuisset

Reip. ita contra incommodeum certe, quod infeliciter accidit, in ipso quoq; aequum est ut redundet. Id eo & quius etiam, quod hoc quicquid est infortunij, non mea culpa, sed aliorū maxime superuenit, Nā si fuisset secundum bellī leges seruata fides, expectatusq; induciarum exitus, potuisse me in tutum recipere, atq; eandem cum iis qui tum in oppido erant, fortunæ aleam subire. Nunc uero uix dimidiato illo decurso tempore quo tuto foris oratoribus abesse licuit, dum adhuc securus colloquor cum hoste, per violatas induciarum leges in atrocem illam fortunam incidi, quas si hostis violauit prior, ut interpres bellici consilij & legatus captus sum. Sin autem oppidanī audacia pro uirtute usi, fatali quadam necessitate belligerandum sibi cum fortuna putantes, solem ipsum præ taculorum multitudine & sagittarū umbra obscurare conati sunt, etiam atq; etiam uideas te obsecro Cæsar, num non propterea maiore etiam studio, ac ratione & quiete sim à Louaniensibus sublevādus, quod caput meū quasi certaminis causa, in maximū totius huius belli discrimen obiecerunt, non aliter ac si uniuersæ ciuitatis salus in meo alienigenæ periculo posita esset, & violatas religiones induciarum, meo peregrini sanguine atq; supplicio

Dij

expandas censerent. Sed ut unde digressus sum re-  
uertar, hoc modo in hostium castris interceptus, sub  
tertiam ferme à solis occasu horam, à Longouallio  
accisor, qui separatim mira quadā atrocitate cau-  
sam extorquere ntitur, quare oppidani pactiones  
et conditiones bellicas perturbantes periurio, tam  
furiose castra sua tormentis uerberarint? Si uera  
referrē, præmia amplissima, si falsa, mortem certā  
proponens. Quæ sanc uerba, ut à Duce ira et fu-  
rore percito, et si animum fortissimi cuiusq; uiri in  
flectere potuissent, nihilominus omnibus supplicijs  
salutem cuium ciuitatisq; antiferens, mortem etiā,  
quæ naturæ debita, pro Academia eſet potissimum  
reddenda, contemnens, oratione forti et constanti  
sic imperatoris animum fregi atq; compressi, ut ho-  
stem non solum ab oppugnatione deterruerim, sed fe-  
re etiam ad relinquendam obsidionem compulerim.  
Certe illud uerissimum est, quod ex meis uerbis tristis  
anxiusq; discedens, et ab omni spe capiendæ urbis  
deturbatus, uide inquit quid agas Damiane. Tuā  
ego salutē adiuravi, ut uel uera cum præmio, uel fal-  
sa cum pernicie referres. Si me fallas, ipſe tuæ cala-  
mitatis auctor fueris. Cui responsum est à me, omni  
mortis timore sublato. Nihil deprecor, si falsi cōuin-

car. Sed quoniam more comparatū est, propter te  
ſtimontorum religionem et fidem, quā semper om-  
nis natio coluit, ut nemo testimonium, ne minimis qui-  
dem in rebus, de re sua diceret, iſtius ipſius colloquijs  
atque illius prioris, quod ante Bruxellensem portā  
cum eo habueram, Longouallius ipſe uerum et præ-  
clarum iudicij sui dedit mihi testimonium, et à ſe ſub-  
ſignatum, cui ſigillum ſuum impreſſit. Hoc diplo-  
ma, quanquam inuitus, Louaniensibus ostēdi, quod  
eos ne eatenus quidem commouit, ut mihi el uerbis  
gratias agerent. Deum immortalem, quæ iſta tanta  
feritas atq; barbaria, ut homines ſummis beneficijs  
ſalutis ac libertatis affecti, ne oris quidem ſignifi-  
catione gratiam officij testificari uelint. In eodem  
autem fatetur Longouallius auctorem me præcipu-  
um fuisse, quo minus ipſe Louaniū oppugnaret, eāq;  
ſolum ob causam in nouem millium coronatorum  
aureorum redemptionem me condēnasse. Tandem  
nouitate facti commotus hostis, follicitus ſuſpicio-  
ne, ſuſpensus metu, perturbatus oratione mea, re ta-  
men cum ductoribus communicata, meq; in custodiā  
tradito, caſtra que prope muros habebat, de tertia  
uigilia, quo tempore oppidi capere decreuerat, Ga-  
lliā uerſus, præter omniū expectationem, moueri

imperat, quō ipse & quidam Iacobus Monchius dominus Dignessan Longouallij gener me captiuum duxerunt, ubi nigrimi millia coronatorum extorquere sunt conati, criminantes auctorem me urbanis conseruatæ fuisse. Ad extremum in carcere publico ab eis Landunij Veromandiæ detentus, mulierisq; ibi miserijs confectus, ac prope extremum spiritum exhalans, coactus sum nouē millia, ut à nefaria illa crudelitate & tyrannide uitam redimerem, polliceri. Audita tibi esse arbitror Caesar Auguste dicta factaq; mea, qualiq; pietate in Louaniensis fuerim, qua si erga patriam aut parentes usus essem, etiam in tanta necessitudine & coniunctione, non mediocris neq; vulgaris habenda fuisset. Nunc illam non ciuis erga patriam, non filius erga parentes, sed aduena & hospes erga peregrinos ostendit. Sed quid huic charitati & bonitati meæ repensum fuerit, ne prolixior videar, paucis duntaxat exéplis declarabo. Gallus quidā genere & diuitijs præpotens, tutus Academiæ priuilegijs Louanijs degebatur. Hunc amici libera & honesta custodia, domi meæ asseruabant, nec deprecabatur Gallus hanc fortunam, ut qui duriorem carcerem metuebat, nam tum increbuerat fama nostros scholasticos in Gallia

carceri traditos esse, istius captivi permutatione nostra redemptio sperabatur. Huic enim sorore praes primus priuati consilij apud regem Gallorum uxore duxerat. Quid actum? Statim pia mater nostra se opposuit, fulminibus immensis minitans meis, tanquam hoc maxime Academiæ priuilegijs aduersaretur, ac demum ei causæ patrono adhibito, hunc liberat, meq; meosque in exp̄as damnat. Credo quia erat contra priuilegia Universitatis Louaniensis. At quibos in me ante urbem Louaniensem omnia priuilegia omnium Universitatum nolauerat, superioreq; bello, Lutetiæ parisiorum quidam Cæsariani de bibliotheca sua in ergastula & latumias abrepti sunt. Sed nolebant aliorum iniurias imitari. Esto. Sed lente hic agendum erat, & in lögum differenda sententia, ut medio tempore Galli hoc metu adducti, me aliosq; è servitute libertati restituerent. Nunc omnia sunt festinanter, perverse præpostereq; gesta, ut nihil uel ex mora iudicij commoditatis uanciscerer. Cæterum non fuissem ideo debilitata Academiæ priuilegia, si captiuum scholasticum pro capiuo scholastico uel commutassent, uel commutari saltem permisiſſent, præfertim pro eo qui in manus hostium ob ipsius Academiæ & torius ciuitatis expiationem inciderat:

Sed alio tendebat principes Vniuersitatis, idq; suo tempore detegam. Nunc uero ad aliam ingratitudinem huic nō dissimilem accedo. Me adhuc apud hostes degente, Carolus Brugensis (qui rectoratum tē pore obsidionis gesserat) dignitatem suam deponere uolens, cum de more ut semper fit, ab uniuersitate Academia testimonium rei bene gestae magistratusq; rite perfundisibi dari postularet, ibi quidam quorum nomina honoris causa prætero, palam reclamare coepерunt, afferentes omnia sibi placere, quæ rector tempore illo gesserat, nihilominus se Deum homineq; contestari protestariq;, siquid Adriano Blebemio ciuitatis prætori (nam is fato nescio quo inauspicato in manus hostium inciderat, & a Martino Rossemio redemptione duorum millium coronarum fuerat multatus) aut Damiano Goi tempore obsidionis nomine Academæ commendatum uel imperatum fuisset, eo eorum facultates non tene ri, quoniam quicquid illis delegatum ob ciuitatis defensionem fuisset, id ipsis facultatibus absentibus, et ignorantibus factum & actum esset. At nunc mihi respodeant isti protestantes, an non fuerit satis, tempore illo funestissimo eos ut capita cum alijs nō paucis, nomine ipsarum facultatiū & totius Academie

cum rectore in curia comparuisse, quo prætori, Applesino, mibiq; commissa fuit cura deducēdi obſides promiscue ex nomine ciuitatis & Academie? Certe aequus & estimator iudicabit ratum id ex firmum apud omnes facultates esse debuisse, quod tunc in curia à Rectore & primariis urbis & Academie qui aderant, decretum fuit, quando cæteri cum tota Vniuersitas, conuocata esset, non comparuerunt, imo ne comparere quidem ausi fuerunt. Nam aliis (timore perculsis omnibus) domi latebat, aliis fugam meditabatur, aliis Deum in templis ad puluaria omnia adorabat, aliis per plateas exanimis errabat, multi quoq; per moenia se præcipitantes ex oppido iam aufugerant. Longouallius interim alio ex laicere, omni contentione ad oppidi ipsius expugnationem festinabat. Dabatur ne hic tēpus omnes à minimo ad maximum usq; consulendi, ut fit in solennibus & tanquillis comitijs? Minime uero. Nec quicquam tam stupido iudicio aut mente esse puto, qui hoc dicere aut uelit, aut possit, Quid ista igitur uoluit protestatio, nisi ut quod ab Vniuersitate debebatur, id facultates non deberent? Atq; ita suo timori medebatur, ne ipsa facultates ab eis repeteret, in quod ipsi consensissent. Itaq; Sa-

era tua Cæsarea maiestas ex duabus recitatis edulis incipiet cognoscere istorum hominum aëos, & cōsiderare, in quos scopulos eos omnes ingrata mēs cōicerit. Multa alia his nō inferiora recitassē, sed p̄lixitatem fugiā, quā obrem ad Senatum me cōferā. Decimum quītum diē in carcere seruabar, ac morbo ingraueſcēt nō min⁹ uitā quā libertatē desperabam, cum ab eis qui uectigalibus ciuitatis præerāt, uxori renunciatur, ne amplius privilegijs, immunitatibus q̄z Academiæ utatur, eamq; debere deinceps omnia uectigalita persoluere. Bona me hercle causa, ut pote quæ virum scholasticum iam in urbe non haberet. At qui uiduis saltem ad annum defuncti mariti iura relinquuntur, captiuis iuri postliminijs in perpetuum incolumia ac salua seruātur. Mea uxori neutrum datum. Hanc barbarem impietatem cū illa non ferret, ac propterea migrationem ad fuos in Hollandiam pararet, retinetur iuita cum omnibus bonis, ut eam iniurijs & contumelijs obnoxiam haberent. Nec antea dimiserunt, quam in ſuſu ferentissimæ Reginæ ab ista uiolentia ſunt cohibiti. Excessit tandem Louanio uxor, ſed non ſine luculento diſpendio, cum per ſummam festinationem ea diſceſſio præcipitata ſit, ne noua uis eius incepta retardaret. Respondeat iam huic loco Academia, & patre

nus ille qui Galli partes contra meos fuſtimuit, cur ſe non præbuerit huic negotio defenſores, cum mihi homini ſcholastico & priuilegijs Vniuersitatis iure grāuifuro priuilegia frangebantur, quibus cum uxor mea, quantumuis ego mortuus fuiffem, ut omnibus academicis conſtat, uti frui, dum uiueret, potiſſet: ac lōge maiore iure cum pro ſalute ipſius Academiæ & ciuitatis captiuus adhuc apud hoſtes uerſarer. Nonne hic demum etiam agebatur de tueris Vniuersitatis priuilegijs, pro quorum defenſione uniuersa Academiai iuſurgere etiam non roga ta debuifſet? Viderint certe alij, quibus nominibus tales mores appellare uelint, bonos ne an malos, gratios an ingratos, pios an impios: mihi certe ut omnibilem ſupprimam, ne quaquam ciuiles uidentur. Dixi quales ſe mihi abſenti exhibuerint, nūc quales præſenți præſliterint dicam. Reuerſus Louanium ex gallicis latumijs, cū Academia & Senatu agere coepi, ut repetita memoria præterii tēporis, beneuolētiæ, amoris q̄ ſui, aliqua ſigna oſtēderēt, ac eitā ut historiā clari intelligerēt, quæ uarie à uarijs ut plerūq; fit recitatatur, cōmētariolū quēdā in modū libelli ſupplicis, latine feci, ubi totam obſidionis, & mei carceris ſeriem tranſurrebam, eumq; utriſq; exbibui, in comitio. Maximo igitur cum ſilemio, ac

ut ex omnium uultibus et gestibus apparebat) non mediocri cum dolore calamitatum mearum, histria perlecta, uide quæso Cæsar pienissime confectiones rerum. Illi ut de postulatis meis liberius consultaretur, me ex conclavi secedere iubet, ac tum repente mutato uultu, depositoq; pudore, tanquam illis ad ludum et iocum accommodus uiderer, oratorem ad eos me uenisse dixerunt, quo circa oratore alio esse opus, qui mihi responderet, ut pariter in munere orationis pro uerbis uerba darentur. Ex eiusmodi autem procemijs, quales epilogi futuri essent, quamquam satis ariolabar, nunquam tamen tam illiberales, ingratos, odiososq; fore credebam, quam postea se se ostenderunt. Etenim paucorum dieru in teruallo (omnibus bonis intra extra q; consilio locum reclamantibus) decreuerunt ne gratias quidem ullas mihi agendas uerbis, ne ex ijsdem actis gratijs piam matrem in iudicium fortasse uocarem. O ingrata et amara ciuitas, quid flagitiosis, quid turpius dici potest? Sed me comprimam. Mea equidem modera, et pietas, et sanctitas tibi præstata, facile tu am infamabit iniuriam. Talis autem sententia Academicorum, non scriptis, sed ore ad me perfertur, quod aduersus scripta (ut puto) non ualeat inficiatio,

in uerbis inficiatio multum loci habere solet. Humaniorem hac in parte se exhibuit Senatus. Ille enim amplissimis uerbis gratias egit, excusatq; aerarij penuriam, quod pecunia nostram calamitatem subleuari non patiebatur. At Vniuersitas in qua tot amicos, sed frustra, non mitius unimo quam cōsueuit uite coniunctos habere me sancte deierare non formidasset, ne ad uerba quidem se gratos ostenderunt, ne quo d singuli separati mihi deberi fatebantur, Vniuersitas debere uideretur, si beneficium agnouissent. At qui ipse hostis suis ipsius sigillis testificabatur se meis uerbis circumuentum, ab oppugnatione deterritum fuisse. Age postquam nec mihi nec hosti credunt, uel se credere dissimulant, quid hostem a mecenib; abduxit? Noster ne exercitus, quis e nusquam hosti ostentari audebat? An subdia missa, quæ ex medio itinere diffugerunt? An uis oppidanorum, quæ hostibus ob imperitiam iaculati ludibrio possea, non terrori fuit? Deni aliam causam, aut agnoscat me causam fuisse, nisi forte id assuerent, quod à Longouallio et Martino Rossemio: dum suo errori mederi conantur, in diversis locis iactatum est, eos nimirum ab oppidi oppugnatione abstinuisse, ne eius deprædatione cum di-

utijs maximis refertū tunc esset, miles torpesceret,  
ac non Galliā iā (quo ipsi proficisci dissimulabāt)  
sed patrī ac domum meditaretur. Honestā certe  
causa, rei ignarī uideretur, mibi uero meo malo cō-  
dīo, non item. Quare ut ita sit, respondeant ipsi cur  
non fuerint obſidibus contēti, quos nomine ciuitatis  
Academie prætor eis obtulit, quibus uniuerso  
exercitu de septuaginta millibus coronatorum au-  
reorum, intra quinq̄ dierum ſpatium cauſum erat,  
Nonne hoc argumento efficacissime oſlenditur, eos  
nib⁹ aliud quam oppidum uia aut dolo occupare no-  
luiffe, cuius fruendi cupiditate obcaſati, tantam cō-  
tam ingentem pecuniam amiserunt. Atq; ne forſi-  
tan dixerint Louaniēſes, etiā ſi hostis oſ pugnaſet,  
nunquā uibe potitus fuifset. Sit hoc ita: quāquā om-  
niū in contrarium ſemper ſentētia fuit. Nonne etiam  
Louaniensibus uictoribus, multa clade illa defenſio  
cōſtituifſet? An tantū ſanguinis pro manib⁹ effun-  
denſum, nullā gratiam auctori meretur, qui ſelus in  
cauſa fuit ne effunderetur? Sicut autē medicus ad-  
uenientibus grauibus cō periculis morbis mirifice  
cō diligenter colitur, iſfaē recedentibus cō depul-  
ſis, uel ut magis detestabilis, uel ut circulator ridicu-  
lus habeatur, ſicut poſt liberatam ciuitatē repenſum

fuit illi uiro, cuius ecclesiastes Solomon meminit, ita  
mibi cum Louaniensibus accidit. Nefcio reueratā  
iniquis hominibus quid animi fuifſet, ſi necem quam  
frendens hoſtis mihi intentabat, in tergum reuinctis  
manib⁹ perituro, uel militum baſtis, uel carnificis  
gladio, ipſis interminatus fuifſet. Quarum rerū non  
ſolum euentus atq; perpeſſio, ſed etiam cō expecta-  
tio indigna homine libero erat. Que haudquaquam  
ciuitatiuifsem cruciamenta, niſi ſpes tot millium aureo-  
rum, que poſte a mihi partim imperata, partim ex-  
torta ſunt, auaritia cō crudelitate de mea uita de-  
certantibus, irato duci aliam mētem attulifſet. Nec  
dubium eſt, quin anima mihi ſupplicio adempta, ut  
hoſtis dixiſet me merito occiſum, ita cādem meam  
Louaniēſes approbabent, ne quod mihi nunc uiuen-  
ti debēt, tunc heredibus meis cogerētur dare. Quod  
ſi redeant eadem tempora, ut res humanæ instabi-  
les ſunt, omniaq; per ſuntū tumultum festināda fue-  
rint, nulli tutum erit, non uocato Senatu, quicquame-  
re rep. ſatuere nec ulli dubium, quā ſolet hāc cuncta  
tio eſſe pernicioſa. Sed plēriq; ut p̄ reterita non cu-  
rāt ita in futurum nō cōſulunt. Ego autē tā me gra-  
tiosum ſingulis arbitrabar, ut ſi publice gratiae mi-  
hi negarentur, eis tamen mihi à priuatis policerer.

Atq; utinam postquam in metales esse constituerant, saltem se meliores erga alios exhibuissent, quorum uirtutibus calumnia nullam maculam aspergere potuit. Viderentur enim iudicio errare, quod me iniquius tractauissent. Nunc cum ad omnium merita & que sint ingrati & maligni, morbo peccant potius animi, qua iudicij. Et ut alia non pauca omittam, quam parce grati fuerint in Seuerinum Feiten, qui mei absentis uices strenue procurabat, quam itē anguste in Christophorum Pheegel nobilem illum Germanum, de quo antea dixi, unum tantum adferam, insignis ingratitudinis exemplum, in Petru Lupum Flarum Hispanum. Is enim Louanijs annos plus minus sedecim, uitam probe & honeste agens, homo rei militaris peritisimus, ut pote quam in aquilonaribus partib; per multos años sub Danie, Noruegia, Sueti & regibus, ac sub Liuonic equitum cruciferorum Principe, haud parua sae ne cum laude & gloria exercuerat, a Senatu Louaniensi, bombardarum & machinarum bellicarum omnium praefectus creatus est, in quo munere cum multa de facultatibus suis insumpsiisset, soluta tandem obsidione, cum necessarias impensas, quas temporis necessitas tulerat, a Senatu reposceret, pro præmio

criminationem retulit. Nam illi obiectum fuit quod plæbem ad seditiones concitasset, rem tam impudenter confidam, ut nec ulla dilutione egeret. Fuisse enim ad supplicia quam ad præmia priores, si non xam aliquam in homine inuenissent. Ingratitudinem profecto, cuivis bono intolerabilem. Prudenter & sapienter ad Persarum exēplum, a Romanis actio contra ingratis inexorabili lege sancta est, qua ingrati ipsi infames habebātur, & supplicijs afficiantur, ut ea ratione ciuitatem suam liberam & immunem à tam sordido crimine conseruarent, varia item præmia ihs, qui in suam Rempub. aliquid beneficij cōulerant, sapienter proposuere, & in eos quo rum opera dignitatem populi Romani atq; imperij tuebatur, & quorum etiam industria recip. negotio recte administrabantur, maxima beneficia contuler. Nec ulla maior causa profecto tantam illā Romanorum nominis atq; imperij gloriam euexisse videtur, quam ingens quoddam & admirabile gratuscandi studium, in eos à quibus beneficium aliquod quamuis exiguum accepisset. At ut id quod res est proferam, quam alieni Louanienses ab hoc munificiæ genere sunt, quam procul à sensibus suis gratificationem amandarunt, & quam dissimulanter

illam Solonis legem prætererunt, quæ omnem huma-  
næ uocis prædicationem excedit, ut quæ iubeat eos  
qui in bello pro patria ceciderunt, laudibus illustrâ-  
dos, & clarissimis monumētis exornâdos, liberosq;  
eorum publice alendos atq; erudiendos esse, quam  
aduersum hanc legem, meæ famæ & honori ac libe-  
ris meis accidisset, si apud hostes pro Louaniens-  
bus interijsssem, cum me uiuo tam contraria faciant.  
Sed cuperem eos Cæsar Auguste interrogari, qua  
causa commoti, tam ingrate & impie repudiarent  
officiū. Dicent forte paupertate. At unde tāta the-  
sauri uis, tā abstrusa pecunia? Vbi namerant repo-  
sita, quæ hostibus dare intra quinq; dies decreuer-  
rant, septuaginta coronatorū aurorum millia, quæ  
ipsi tūc numerata habere se in oppido dicebāt? Ha-  
bent igitur diuitias, non benemeritis, sed hostibus.  
Si hostibus sit danda pecunia, in prōptu est, si re-  
muneratione beneuolentiae compensanda sunt meri-  
ta, aut propter uicissitudinem studiorum aliquid ali-  
cui suppeditandum, illico thesaurus nullus. Quod si  
Louanienses uel scintillulū grauitatis ostēdissent,  
& quo animo omnia, quæ in eorum gratiā passus sū-  
ferrem, sed cum tam maleuolos & ingratos erga me  
experiar, quorum opes, ciuitatem, uitam, cum maxi-

mo bonorum meorum dispendio & corporis cruciā  
cibus incolumes seruauit, dici non potest quām id an-  
imo meo graue & molestum sit, maxime dum reputo  
beneficia præstata, omnia in meam ipsius perniciem  
& damnum recidisse. Quare non ægre quidem to-  
lerare debent, si quam maledicendo, maleq; faciendo  
uolupratem ceperunt, eam male audiēdo, maleq; ac  
cipiendo amittant. Reliqui patriam, & non uulga-  
res in ea honores, ut Louanijs privatus degerem. Pe-  
ragratis diuersis prouincijs, omnibus Louaniū præ-  
tuli. Vxorem eo induxi, ut ipsa quoq; reliclo natali  
solo, Louanium omnibus locis anteponeret. Ante  
omnis periculi suspicionem urbe excesseram. Hoste  
iam aduentante, cibus fugientibus, redij. Onera ci-  
uitatis ego alienigena ingenita illa suscipio, & quan-  
quam scirem quantis laboribus premerer, susceptarū  
rerum, opprimi me periculo officij malui, quam salu-  
tem, quæ mihi concredita erat ciuitatis, aut prop-  
ter aliorum perfidiam deserere, aut propter metum  
periculi negligere. Meam auctoritatem secuta stu-  
diosa iuuentus arma induit, ad stationes se cōtulit,  
hosti se opposuit. Alijs ducib. ex urbe profugietib.,  
ego sol⁹ remāsi, & fugā quæ à cæteris parabatur,  
repressi. De defēdēda interim urbe diffiditur, ego  
omnes p̄missis meis excitaui, et simul salutē despe-

rare uetui. Hostilia me inscio petūtur colloquia, nēgotijs, re plane deplorata, ubiqz adhibeōr. Violantur inducē, ego quāsi piacularis hostia morii relinqueror. Verbis mihi foli infauſtissimis, boſtem ab urbis oppugnatione deterreo. Condor in carcerē, ubi postquam mors ob oculos, ſæpe uerſata eſt, extorquetur pro redemptions immanis pecunia, quæ opido non mediocri redimendo ſatis eſſet. Redeo ad Louaniēſes adhuc pedorem carceris obolens, horrem inter pericula mortis conceptum, et necis deſtitutatæ etiam uultu præ me ferens. Postulo aliquo honoriario meas miseriias cobonſtari, nullæ gratiæ neuerbo tenuis quidem referuntur. Et recte faciūt, et quidem pro more ſuo. Quid enim Louaniensibus cum homine alienigena, peregrino, transmarino? At qui me miserum, non putabam me externum, ſed ciuem, non peregrinum, ſed ſocium, non transmarinū, ſed domesticū, cū caput et fortunas meas p illo rū capite et fortunis ex altissimo gradu ſecuritatis in ſummum uitæ periculum demittebam. Ideoqz hæc apud tuas piētissimas aures clemētissime Cæſar exponere placuit, apud quem ut omnes uirtutes ſunt in pretio, ita merita in remp. longe plurimi fiunt, et ingratitudo, quæ cauſa eſt ut benefacere nec libeat

nec conſultum fit, longe teterrima exiſtuntur, ut quæ tanquam peſtis non uni ſed quam plurimis noceat, et hominem beneficum, qui libenter de multis bene meretur, ita afficiat, ut tedium, paenitentiamqz fuæ uirtutis capiat, perinde atqz ſi ſcelus aliquod commiſſet. Sed fruſtra querimonia. Non enim conqueſtione aut meæ fortunæ, aut illorum mores emendabantur. Hoc doleo, quod alij deinceps capient exemplum de me, ne magna beneficia in alienam remp. cōferant. Quo in dolore, hoc unum me conſolatur, quod tuo maxime Cæſar iudicio, innocentiam pietatemqz meam protegere et tueri dignatus es, neqz in aduersis ſine ullo remedio atqz alleuamēto diuitius permanere uoluisti, ſed i peratoria tua et digna Cæſarum uirtute ſentēria, ampliſſime de mea ſalute de creuisti, ac condemnatione Lōgonallij, generiqz ſui militaris imperij disciplinam, bellicarumqz legum in posterum dignitatem, auctoritatemqz ſanxisti. Cu- ius ampliſſimi decreti ſanctionisqz tue, liuras Sa- cratiſſime Cæſareæ Maieſtaris tue manu ſig- noqz obſignatas, ad perpetuam rei memoriam, et poſteritatis recordationem ſeruabo. Ac non quia Louanienses in me impij ingratiqz fuere, tua continuo Cæſar merita beneficiaque obſcurari aut interire

F iii

patiar. *Vellet autem Deus Optimus Maximus, ut Louanienses, quibus tantam pietatem, quantam mæximam animus meus capere potuit, præsteti, maiestatis tuæ edicta decretaque sequentes, cum honori suo & meo consularent, tum res meas gestas imitatione potius & remuneratione, quam inuidia & obsecratione dignas censerent.*

### ERRATA, SIC CORRIGE,

B. pag. 2. versu. i. facerant. lege. fecerant.  
Versu. 5. vernembergenſi. lege. V ernembergenſi.  
Versu. 10. coerceri. lege coerceri.  
Versu. 12. germanicæ. lege. Germanicæ.  
Versu. 16. autoritate lege auctoritate.  
Versu. pœnultimo. officijs. lege. officijs.  
B. 2. pag. 1. versu. 9. ad quem. lege. Ad quem.  
Versu. 10. stoliditiam. lege. stoliditiam.  
Versu. 13. solitudinem lege solitudinem.  
Versu. 21. auctoritate lege auctoritate.  
Versu. ultimo iussissent. lege iussissent;  
pag. 2. versu. 10. auctoritate. lege auctoritate. sic post  
auctoritate publica,  
B. iii. pag. 2. versu. 1. 4. lege. militares leges æque.  
Versu. 18. temporecædens. lege temporicedens.  
B. iii. versu. 10. officium. lege officium.  
C. pag. 1. versu. 9 hic ego. lege. Hic ego.  
Versu. 14. Tercium. lege. tertium.  
Versu. 15. ab Emmerha lege. Emmeriensis.  
Versu. 18. afflictis. lege. afflictis.  
pag. 2. versu. 11. longæuallis. lege. Longæuallis.  
Versu. pœnultimo. didictio. lege. didictio I  
C. ii. pag. 1. versu. 7. exercitiui. lege. exercitui,

Versu. 8. visto precio. lege. iusto pretio.  
Versu. pœnultimo offeret. lege. Offerret,  
pag. 2. versu. 1. precio. lege. pretio,  
Versu. 2. polliceretur. lege. polliceretur,  
Versu. 3. lege. nec prece. nec pretio,  
Versu. 9. lecorum. lege. locorum.  
Versu. 16. ijs qui prius coloquio. lege. is qui prius colloquio,  
Versu. 3. à fine. operiebatur. lege. opperiebatur,  
Versu. 3. stupefactus. lege. stupefactus.  
C. iii. pag. 1. versu. 8. queq;. lege. queq;.  
Versu. 9. minabantur. lege. minabatur,  
pag. 2. versu. 6. meocriter. lege. mediocriter.  
Versu. 13. conareris. lege. conareris,  
Versu. 15. afflictis. lege. afflictis,  
C. iii. pag. 1. versu. 4. quærimus. lege. quærimus.  
Versu. 10. suum. lege. tum,  
Versu. 16. potius admiceret. lege. potius admiceret,  
Versu. 20. affirmabat. lege. affirmabat,  
pag. 1. versu. 19. teterrimus. lege. teterrimos.  
Versu. julimo. auferor. lege. auferor,  
D. pag. 2. versu. 17. publice. lege. publica,  
D. 2. pag. 1. versu. 2. in ipsa. lege. in ipsam,  
E. 2. pag. 2. versu. 15. flagitiosis. lege. flagitiosus.  
E. iii. pag. 1. versu. 6. unimo. lege. animo,  
Ibi. consuetude. lege. consuetudine,  
E. 4. pag. 2. versu. 7. qua iudicij. lege. quam iudicij.  
Ibi. versu. 3. à fine. lege. facultatibus,

Olisipone, in ædibus Lodouici Rbas  
torigij typographi ac bibliopoe  
la regij. mense Junio.

M.D.XLVI.

